



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

II. An, & de quo iure Monialibus clausura præcipiatur obseruari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

DUBITATIO II.

An, & quo iure Monialibus clausura præcipiatur obseruari?

SUMMARIUM.

- 1 Clausura tantum de iure positivo Monialibus obseruari præcipitur, & cur.
- 2 Sanctus Augustinus Monialibus suæ regulæ professis concessit licentiam egredi ad balnea, & ad alias res necessarias, quantum Canonici suis: ex quo inferitur clausuram tunc non fuisse seruata.
- 3 Finis, ob quem clausura à summis Pontificibus præcepta fuit, dicitur honestas.
- 4 Prohibita solo iure humano non sunt mala ante prohibitionem.
- 5 Exius à Monasteriis non decernitur fuisse malus ante iuris humani prohibitionem; sed prohibetur ad præcauenda pericula contra castitatem.
- 6 Præceptum clausuræ non potest aboleri contraria consuetudine in posterum inducenda.
- 7 Consuetudo contraria clausuræ potest alicubi præualere, & decretis eam introducentibus non receptis eidem potest esse derogatum.
- 8 Opinio Llamas confirmatur, quia ea admissa clausura esset de iure diuino, quod negatur.
- 9 Sub voto obedientia comprehenditur quicquid secundum regulam præcipit superior.
- 10 Præceptum superioris iuxta regulam est merum ius positium, & consequenter consuetudo præualere potest contra illud.
- 11 Pontifici obedientia debetur de iure diuino, at eiusdem præceptum non obligat nisi iure positivo, & potest contraria consuetudine aboleri.
- 12 Decreta de clausura Monialium seruanda de facto, nondum in omnibus Monasteriis locum habent, existentibus adhuc alicubi Monasteriis clausuram non seruantibus.
- 13 Decreta ingressum in Monialium Monasteria prohibentia nondum ubique secundum omnem prohibitionis modum recepta sunt.
- 14 Monialium aliquorum Monasteriorum consuetudo circa ingressum intra eorum septa recensetur, & ad Episcopum spectat reformatio in non exemptis iure ordinario, in exemptis iure delegationis à Sede Apostolica.
- 15 Reformatio in Moniales exemptas, sed Religiosis subiectas spectat ad Prælatum Ordinis Generalem, vel Prouincialem.
- 16 Præceptum de clausura seruanda fundamentum habuit ex lege veteri, in qua etiam erant Virgines clausæ prophetica vitam agentes.
- 17 Maria Magdalena, & Mariha eius soror cum aliis Virginitibus in quodam Cenobio simul vixisse perhibentur.

Respondetur præcipi de iure positivo tantum, non item de iure naturali & diuino: moueor, quia dicta clausura nec ex sacris literis, nec ex traditione aliqua diuina deduci potest, nec in tribus votis Religionis includitur. Accedit, quod aliquot Moniales tempore Apostolorum, quin & tempore S. Augustini (sicut colligitur ex eius epistola 109. ubi Monialibus suæ sorori subiectis Regulam præscribens, tantam egrediendi facultatem ad balnea, & ad alias res necessarias concedit, quantum Canonici Regularibus in sua regula) clausuram non seruabant: atque ita contra nonnullos tenent ex communi Nauar. Comment. 4. num. 39. vers. 14. & num. 42. vers. qui-

bus tamen, de Regul. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. q. 2. Manuel. 99. Regul. tom. 1. q. 44. art. 1. in princip. Llamas curat, in Appendice, quam in fine ponit, §. 1. & Vega tom. 2. sum. cap. 86. cas. 119.

Obiicies. Bonifacius VIII. cit. cap. periculofo, ait, clausuram se præcipere, quia exitus è Monasterio sic periculofus, & noxius honestati Monialium: & Pius V. Motu proprio, *Decoris, & honestati*, ait talem exitum esse scandalis, & periculis plenum, & Tridentinum cit. cap. 22. & Pius V. Motu proprio: *Circa Personalis officii*, derogant contrariæ consuetudini, etiam temporis immemorabilis: quod fieri non posset, si clausura iuris naturalis, & diuini non esset, siquidem solo iure humano prohibita non sunt mala ante prohibitionem, & aduersus talia vires obinet consuetudo: ergo, &c.

Respondetur, nego consequentiam: quia hi textus non decernunt exitum è Monasteriis fuisse ante iuris humani prohibitionem malum, sed per illud ius merito interdicti, ad pericula contra castitatem præcauenda, nec decernunt, tale præceptum contraria consuetudine in posterum inducenda aboleri non posse, sed solum consuetudinem iam inductam abrogant.

Hinc sequitur, posse alicubi consuetudine esse derogatum dictæ clausuræ, dictisque omnibus decretis; cum esse possit quod non fuerint recepta, vel contraria consuetudine abolita: quia cum ex dictis clausura solum iuris humani sit, potest contra ipsam contraria consuetudo præualere: quapropter non obstat, quod ait Llamas loco citat. §. 2. ad fin. contra hanc clausuram non potuisse consuetudinem, vel statutum Religionis vim ullo tempore habere, quia etiam ante iuris humani statuta vim habebat clausura, cum tacite includatur in voto, tanquam necessaria ad castitatis promissæ obseruationem: non obstat, inquam, quia si hoc esset, clausura non esset solum de iure positivo, contra id, quod supra dicebatur. Cæterum licet tacite sub obedientiæ voto comprehendatur quicquid secundum regulam præcipit Superior, quod tamen iuxta illam præcipit ipse, est merum ius positium; consequenter consuetudo præualere potest contra illud. Sicuti iure diuino omnes tenentur obedire Pontifici: at quod præcipit Pontifex solo iure positivo, obligat quidem; at potest consuetudine contraria aboleri.

Confirmatur, quia de facto prædicta decreta de clausura Monialium seruanda, nondum in omnibus Monasteriis locum habent, cum adhuc hodie aliqua Monialium Monasteria reperiantur, in quibus clausura non obseruatur: sicut & alia decreta ingressum in Monialium Monasteria prohibentia (de quibus dicitur dub. 39. & sequenti. nondum ubique secundum omnem prohibitionis modum recepta sunt; eum adhuc in aliquibus locis, ut in Germania, sint Monialium Monasteria aliqua, in quibus tam viri, quam mulieres, ingredi solent domus intra septa, quamvis extra claustra, seu habitationes proprias Monialium existentes; sæpe etiam facili de causa mulieres seculares, & Religiosæ aliorum Ordinum ad ipsarum Monialium claustrales cellas admitti solent: cuius rei reformatio in Moniales non exemptas spectat ad Episcopum loci, tanquam Ordinarium; in exemptas verò, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectas, spectat ad eundem Episcopum, tanquam ad eiusdem Sedis Apostolicæ delegatum; in exemptas tandem, & Religiosis subiectas, spectat ad Prælatum Ordinis Generalem, vel Prouincialem, sicuti rectè adnotant Nauar. comment. 4. de Regular. num. 47. & 60. & Miranda de Monialibus, quæst. 3.

Ceterum prædictum præceptum de clausura seruanda fundamentum habuit ex lege veteri, in qua etiam erant virgines clausæ prophetica vitam agentes,

gentes, vti colligitur ex Iudith 8. *vers. 5.* Item ex 4. *Reg. 11. vers. 2.* item ex 2. *Machab. 3. vers. 19.* ibi: *Virgines, quæ conuulsa erant, præcurrebant ante Oniam.* Vide Abulensem 1. *Reg. 2. quæst. 12.* Canisium lib. 2. de *Deipar. cap. 12.* & Baronium in *appar. ad Annal. §. si fidem adhibendam.* Fundamentum etiam habuit
 17 ex primitiua Ecclesia, quia tunc temporis etiam Maria Magdalena, & soror eius Martha cum aliis virginibus in quodam Cœnobio simul vixisse testatur Mellitus in vita ipsarum, *cap. 9.* & Tamburinus de iure *Abbatiss. disp. 18. quæst. 3. num. 1. & 2.* vbi etiam refert plura concilia antiqua, in quibus talis Monialium clausuræ vestigium aliquod cernitur, etsi illa sub præceptum formaliter non fuerit, nisi per iura positiua adducta in *dub. præcedenti.*

DUBITATIO III.

An & qualiter Monialibus iure positio potuerit præcipi strictior clausura, quam ea, ad quam ex vi suæ professionis, aut regulæ tenebantur?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIVM.

- 1 Præceptum de clausura strictiori non inducit nouam austeritatem prorsus alienam à priori Regula; sed potius, etsi indirectè, pertinentem ad eam.
- 2 Clausura perpetua, & inuiolata, vtpote medium valde necessarium ad promissam castitatem exequendam, Monialibus eam etiam expressè non professis præcipi potuit, & ad eandem seruandam à Prælati cogi possunt.
- 1 Respondetur, quod huiusmodi præceptum non inducit nouam austeritatem, prorsus alienam à priori Regula, sed potius, etsi indirectè, pertinentem ad eam, cum experientia compertum sit, Moniales vagari, promissæ castitati magnum præiudicium inferre. Consequenter meritò Monialibus (etiam iis, quæ eam expressè professæ non fuerant) clausura perpetua & inuiolata præcipi potuit, vtpote medium valde necessarium ad promissam castitatem exequendam, & sic ita, vt ad hanc clausuram seruandam à Prælati cogi possent. Doctores, quos citat & sequitur Rosel. *verb. Lex, num. 5.* Angel. *verb. Religiosus, num. 29.* Silu. *verb. Religio 6. quæst. 6.* Nauar. *Comment. 4. num. 40. de Regul. Angles 1. part. quæst. vnic. de voto, art. 2.* (vbi id potuisse fieri, putat esse de fide.) Vega *tom. 2. cap. 86. cas. 12.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 2. in fin. & cap. 11. quæst. 19.* Vasq. 1. 2. *quæst. 95. art. 2. disput. 154. cap. 4. num. 29.* Banez 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 6. in fin. Manuel. tom. 1. qq. Regul. quæst. 44. art. 1. Galarza de clausura Monial. Bonacina de clausura, quæst. 2. punct. 1. & de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 19.* Lezana *verb. Clausura, num. 2.* & alij passim, quibus ex antiquis adde Gloss. in *cap. vnic. de statu Regul. & Archidiaconum, Dominicum Francum, & alios ibidem.*

SECTIO II.

Corollaria.

SUMMARIVM.

- 1 Pontifex potest Monachis aliqualem clausuram præcipere, nempe vt cum hac, vel illa limitatione exeant, vel ne à suis Conuentibus ultra vnam dietam abeant sine ipsius licentia, inspecta tamen Monasterij necessitate.
- 2 Pontifex potest Monacho clausuram indicare: quod etiam fieri potest ab aliis superioribus ob eandem rationem.
- 3 Pontifex si sine strictiori clausura Regula, & Institutum alicuius Ordinis conseruari non potest in suo vigore, potest eandem pro vniuerso Ordine decernere. Idem dic de eo, penes quem residet potestas statuta religiosa condendi.
- 4 Prælati Ordinum ab Episcoporum iurisdictione exempti, quasi Episcopalem iurisdictionem in suos Regulares habent, & possunt condere constitutiones, sicut Episcopus condere potest statuta ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia.
- 5 Doctrina Sanchez. limitatè intelligitur quoad iurisdictionem Prælati Regularibus debitam.
- 6 Prælati non exempti iurisdictionem aliquam statuendi in rebus non grauib. per consuetudinem possunt sibi comparare.
- 7 Prælati Ordinum potestatem habent statuta condendi; quamvis non omnes eandem, sed pro diuersitate Ordinum, priuilegiorum, & consuetudinum.
- 8 Generalis cum Capitulo generali non potest ferre nouam legem, nisi sit aditum votorum essentialium obseruationem necessaria, & cur.
- 9 Religiosi proprium velle non habent, sed id per obediencia votum in superioris voluntatem transferunt.
- 10 Limita transulisse tantum illud velle, vt superior tantum præcipere possit quæ ad obseruationem Regula directè, vel indirectè conducunt.
- 11 Capitulares præter Regulam antiquam possunt facere nouum statutum, ex quo obligentur & ipsi, & Regulam professuri; non item Religiosi prius professi, qui capitulari statuto non interfuerunt.
- 12 Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Summus Pontifex non potest cogere Religiosos ad arctiorem viuendi modum, quam prima instituti forma postulat, nisi Regula reformatio ad trium votorum essentialium obseruationem necessaria sit, & cur.
- 13 Summus Pontifex potest præcipere Religiosis ob instam causam id quod præcipit aliis clericis, licet in eorum regula non contineatur.
- 14 Religiosus professus regulam tempore quo accidentalia Religionis non erant in viridi obseruantia, non tenetur ad inuitatos rigores ipsius; secus verò si per Capitulum Religionis, vel per summum Pontificem decernatur primaria eiusdem obseruantia, & cur.
- 15 Regule reformatio necessaria videtur ad Ordinis conseruationem, cum absque ipsa paucissimi ad perfectionem religiosam peruenire studeant.
- 16 Religiosi si Ordo ipsorum à Fundatoris sui institutis recedat, & paulatim ad deteriora cum Ecclesia, & ipsorum Religiosorum spiritali detrimento labatur, tenentur acceptare reformationem Regule
 factam